



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630

8 Vtrum finis moueat secundum suum esse reale vel secundum esse
cognitum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94135](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94135)

tum de ipso obiecto seu fine, sed etiam de ipso actu seu tendentia in finem, id est, ut non solum iudicetur obiectum esse conueniens, sed etiam hic & nunc esse conueniens illud velle, si tale (inquam) iudicium significetur nomine iudicii practici, verum est iudicium hoc modo practicum requiri ad causalitatem finalem: & eodem sensu, iudicium speculativum huic iudicio practico condistinctum non sufficere.

Quo sensu intelligo dictum Aristotelis. 3. de anim. cap. 9. text. 41. Intellectus contemplativus non dicit quicquam omnino: si sit fugendum aut prosequendum: at motus semper fugientis aut prosequentis quippiam est. Quod enim loquatur ibi de iudicio vel imperio practico hoc posteriori modo, & non priori, patet ex text. 47. in quo subdit: Intellectus non nunquam iubet ratioque fugere aliud, aut persequi dicit, at non obtemperat homo atque movetur, sed agit cupiditate, ut in ipso fieri solet incontinenti. Ratio autem cur tale iudicium requiratur, clara est, quia, ut supra etiam dictum est, voluntas dum movetur, non tantum vult obiectum, sed etiam suo modo vult hic & nunc proprium actum & motionem suam: ergo necesse est ut de hoc toto & de tali conuenientia feratur iudicium. Quod vero tale iudicium sufficiat, patet, quia sufficienter applicat & conuenientiam obiecti, & practice motionis in ipsum, at quidquid aliud exigitur, nec in ratione causæ finalis fundari potest, neque in modo operandi voluntatis, quin potius ex ea parte qua libera est, ei repugnat, ergo.

Sed statim occurrit difficultas, quia nec tale iudicium practicum necessarium videtur, alioqui non haberet locum in amentibus, vel pueris ante perfectum usum rationis, causalitas finis, quod videtur esse contra experientiam: quia verbis ostendunt se cognoscere rationem boni à qua moventur, & utilitatem medii ad finem. Respondetur absolute negando sequelam: nam licet hi homines non possint exercere iudicia practica in ordine ad mores honestos aut parvos, quia cognitio honestatis requirit perfectum rationis usum, & integrum iudicium: possunt tamen habere iudicium practicum de re ut hic & nunc operabili, & conueniente sub aliqua inferiori ratione, ut est ratio delectabilis, vel ratio conuenientis aut disconuenientis animali naturæ, quæ reperitur in familiaritate v.g. & utilitate quæ est in medio respectu talis finis. Nam licet hi amentes sint, non priuantur omni discernitu & rationatione, per quam sufficienter applicetur causa finalis, ut habere possit aliqua causalitatem suam, quamvis non perfectissimam.

Vltimo inquiri potest circa hanc cognitionem, quæ necessaria dicimus ad finaliter causandum, an requiratur solum ut conditio necessaria ad hanc causalitatem, an vero etiam ut principium seu causa per se. Quæ dubitatio dupliciter potest habere sensum. Vnus est an cognitio finis, præter eam necessitatem quæ ex parte causæ finalis sumitur, habeat aliam causalitatem per se circa actum voluntatis, ob quam etiam necessaria sit. Quo sensu in presenti non est tractanda hæc quaestio, coincidit enim cum illa, an cognitio concurrat effectui ad actum voluntatis tanquam proprium principium per se influens in illud, quæ nihil ad præsentem quaestionem de causa finali refert. Certum est enim, ut supra dixi, causam finalem quæ per cognitionem applicatur, non influere effectui in actu voluntatis: quod vero actus ipse cognitionis quo talis causa applicatur, aliunde habeat vim ad sufficienter causandum voluntatis actum, impertinens est ad causalitatem finalem: quanquam probabilius est non habere cognitionem eam vim efficiendi in actum voluntatis, ut in superioribus est tactum, & latius in scientia de anima disputandum est. Alius sensus illius dubitationis est, an esse cognitum quod finalis causa habet per cognitionem, sit illi ratio causandi finaliter, ideoque cognitio non solum sit conditio necessaria, sed etiam principium per se huius causalitatis: & hoc dubium graue censeri solet, quod sequentem sectionem postulat.

Verum finis moueat secundum suum esse reale, vel secundum esse cognitum.

Prima sententia affirmat finem mouere secundum esse quod habet in cognitione, non secundum esse reale: atque adeo cognitionem non tantum esse conditionem sine qua non, sed esse formalem rationem causandi finaliter. Hæc censetur esse Auicenna. 6. Metaph. c. 5. eamque tenet Soncinas 5. Metaphysic. qu. 3. & nonnulli alii moderni Thomistæ, & attribunt D. Th. 1. 2. q. 31. ad 1. ubi ait, obiectum appetitus animalis esse bonum apprehensum, & ideo diuersitatem apprehensionis pertinere quodammodo ad diuersitatem obiecti. Et similiter 1. p. q. 80. a. 1. & 2. ait appetitum variari iuxta formam vel apprehensionem quam sequitur, & ita distinguit tres appetitus, naturalem, sensitivum, & voluntatem, nam primus sequitur naturalem formam absque apprehensione, secundus sequitur formam apprehensam per sensum, tertius sequitur formam apprehensam per intellectum.

Ex qua doctrina potest concipi prima ratio pro hac sententia, nam id quod ex parte obiecti distinguit essentialiter appetitus, non est tantum conditio sed etiam formalis ratio mouendi, seu obiecti mouentis, sed apprehensio diuersa est sufficiens ratio distinguendi essentialiter appetitus: ergo. Minor est D. Thom. supra. Maior vero constat ex communi doctrina, quod potentia distinguuntur per obiecta formalia, non per conditiones obiectorum, Vnde D. Th. citato loco, cum dixisset in corpore articuli, appetitum esse potentiam motam, moueri autem appetibili apprehenso, & ideo per illud distingui, subdit in solutione ad primum. Appetibile non accidit esse apprehensum per sensum, vel intellectum, sed per se ei conuenit. Nam appetibile non mouet appetitum, nisi in quantum est apprehensum, vnde differentia apprehensi, sunt per se differentia appetibilis. Vnde potentia appetitiue distinguuntur secundum differentiam apprehensorum, sicut secundum propria obiecta. Et idem habet D. Th. 1. 2. q. 30. a. 3. ad secundum, ubi similiter ex diuersa apprehensione distinguit concupiscentias naturales à non naturalibus: & Caietan. ibi notat ex illa responsione manifestè haberi. Quod apprehensio respectu obiecti appetitus non se habet ut approximatō actui ad passivum, sed ut ratio obiectiua.

Et confirmatur hæc ratio, nam in eodem appetitu intellectiuo, effectus causæ finalis plurimū variatur ex diuersitate cognitionis: sola autem conditio vel applicatio causæ non posset sufficere ad tantā diuersitatem. Antecedens patet, nam cognitio Dei per visionem claram vel obscuram, intuitiuā aut abstractiuam causat ut multi volunt, diuersitatem specifiā in amore, & ut minimum, est in causā ut vnus amor sit liber, & alter necessarius. Rursus idem bonum apprehensum absolute, causat amorem, ut absens & acquirendum, causat desiderium vel intentionem, ut præsens vero causat gaudium; qui actus specie diuersi sunt: & eadem proportionem distinguuntur circa malum apprehensum ut absens vel præsens, tristitia & timor. Rursus actu virtutis & vitii in voluntate non distinguuntur ex obiecto secundum eius esse reale, sed secundum eius esse apprehensum: hinc enim fit ut si quis ex conscientia erronea velit elemosynam facere, putans se malefacere, ille non fit actus virtutis, sed vitii: & e conuerso, qui ex ignorantia inuincibili vult furari ut elemosynam faciat, putans se bene facere, non facit actum vitij, sed virtutis, propriè & secundum veram speciem realem virtutis. Denique, simile argumentum est, quod bonum non mouet quale est, sed quale apprehenditur; & ideo supra diximus cum Aristotele, ad causalitatem finis non referre qualis sit, sed qualis existimetur: esse autem existimatum idem est quod esse apprehensum.

Secun-

IV.

Secunda ratio principalis pro hac sententia est, quia illud esse, quod per se ac solum requirit finalis causa, ut causet, non est tantum conditio, sed formale principium causandi; sed esse existentiae non est requisitum in fine ad causandum: esse autem cognitum est per se necessarium, & illud solum sufficit, ergo. Maior videtur nota ex terminis, quia nihil aliud est esse formale principium causandi, quam esse id quod per se primo ac formaliter requiritur in causa ut causare possit. Unde in superioribus saepe diximus, & inferius etiam dicemus, esse existentiae respectu causae efficientis, non esse conditionem requisitam, sed ipsam rationem causandi, quia est ipsa entitas rei, & primum esse quod ad causandum requiritur. Minor autem quoad priorem partem satis probata est in superiori sec. & quod illa necessitas apprehensionis sit per se ex vi causae finalis, constat ex modo causalitatis eius, qui est per Metaphoricam motionem: haec enim per se procedit ex esse obiectivo, non ex esse rei in se. Quoad alteram etiam partem constat ex dictis, nam ostensum est saepe finem causare antequam sit: imo & illud, qui nunquam futurus est, vel etiam interdum qui nec esse potest, si tamen ut possibilis apprehendatur.

V.
Posterior
sententia
contraria.

Secunda sententia est finem mouere secundum esse reale; illudque esse rationem formalem mouendi, & consequenter: cognitionem finis esse tantum conditionem seu approximationem necessariam huiusmodi causae. Hanc opinionem docuit late Caieta. 1. 2. q. 1. ar. 1. circa ad primum, ex illiusque esse sententia Auerrois 12. Metaph. com. 3. 6. quatenus ait, sanitatem quae est in re causare finaliter, licet prout est in anima, efficiat desiderium sui. Et potest sumi ex D. Tho. 1. p. q. 82. ar. 3. quatenus ait voluntatem inclinari ad ipsam rem prout in se est; & ex Philosopho quae ibi citat in 6. Metaph. tex. 8. dicentem bonum & malum, quae sunt obiecta voluntatis, esse in rebus. Eandem opinionem tenet Ferrariensis 1. cont. Gent. c. 44. ubi dicit, esse in mente, tantum esse conditionem requisitam ad finalisandum. Tenet etiam Iauellus 5. Metaph. q. 6. Ocham in 2. qu. 3. ar. 2. & Gabr. 2. d. 1. q. 1. ar. 3. & sumitur etiam ex Scoto in 1. d. 1. q. 4.

Fertur inter praedictas sententias iudicium.

VI.

Inter has sententias haec posterior mihi videtur simpliciter vera: & res tota tam clara apparet ut vix possit esse dissentendi ratio nisi in vocibus ipsis aliqua æquiocatio misceatur. Quod patebit facile, si ea in quibus auctores utriusque opinionis conveniunt, vel tam manifesta sunt, ut in eis convenire necessario debeant, distinxerimus.

VII.

Finis ut causet non eget existentia actuali.

Primo itaque conveniunt omnes, finem non indigere existentia reali, seu exercita (ut vocant) ad causandum finaliter: quo sensu clarum est esse existentiam non esse rationem causandi finaliter, imo nec conditionem necessariam. Adde etiam, neque esse essentiae verum, aut esse existentiae possibile re ipsa esse necessarium ad causandum finaliter, nam apprehensum sufficit, & hoc tantum magna ex parte probant rationes primae opinionis.

VIII.

Voluntas non fertur ad assequendum finem in esse cognito, sed in esse reali.

Secundo certum est, voluntatem non tendere in finem, ut illum in esse cognito, ut sic, assequatur, sed ut in proprio esse reali, quod in eo apprehendit iuxta eius conditionem, illud assequatur: atque hoc sensu certissimum est esse in cognitione non esse rationem finalisandum, sed solum conditionem necessariam. Prior pars exemplis, & ipsius rei declaratione fit evidens. Nam qui intendit sanitatem, aut divitias, non intendit illas cognoscere, aut de illis cogitare, sed re ipsa consequi secundum veram existentiam realem, & idem est de aliis. Ratio autem sumenda est ex dictis scet. 5. quod ratio formalis causandi finalis causa est bonitas eius & convenientia: res autem, quae movet ut finis, non habet suam bonitatem & convenientiam in esse obiectivo seu cognito, sed in ordine ad suum esse

reale: sanitas enim est conveniens ut inest, non ut apprehendatur: ergo formalis ratio movendi est reale esse eius, quatenus conveniens seu bonum, seu realis convenientia eius quatenus in ipso esse reali fundatur, & illud reddit bonum & appetibile. Confirmatur, quia finis secundum illud esse movet, secundum quod satiat appetitum agentis postquam illum est consecutus, & sine quo non quiescit, sed ira comparatur finis ad voluntatem secundum esse reale, & non secundum esse apprehensum: ergo. Maior constat, ut quia illud est primum in intentione quod est ultimum in executione, tum etiam quia finis est, id in quod tendit impetus agentis: id autem tendit quo consecuto quiescit. Minor etiam est clara, quia non quiescit animus apprehensione finis, nisi illum in re ipsa consequatur & absque huiusmodi consecutione frustrari censetur intentio agentis. Et hoc non negant auctores primae opinionis, ut tandem fateatur Medin. 1. 2. q. 1. ar. 1. quamquam fortasse non admodum consequenter, ut ex dicendis constabit.

Dixi autem, voluntatem tendere in finem, secundum esse reale iuxta eius conditionem, quia interdum contingit ipsum finem voluntatis operantis non esse alium, quam obiecti alicuius cognitionem, ut cum intendimus seu desideramus videre Deum: tum enim illud esse visum pertinet ad rationem formalem talis causae finalis, & simile est, quando homo appetit finem solam contemplationem, vel speculationem alicuius veritatis. Et hoc etiam modo dicunt Theologi, interdum hominem posse declarari in sola cognitione, & non in re cognita, nisi secundum esse cognitum, quo tunc actus accipit suam bonitatem vel malitiam. Quamquam verò in his & similibus, exempli scognitionis ipsa appetatur ut finis, tamen ipsa habet suum proprium esse reale, secundum quod appetitur, & talis cognitio etiam tunc non est ratio finalisandum in quantum est quid praerequisitum ex parte finis, ut voluntate moveatur, sed in quantum est actio quaedam, quae per se indicatur conveniens, & ut sic proponitur voluntati tanquam sufficiens ad movendum illam, sed tanquam terminus in quem tendat. Atque ita secundum accommodationem distributionem verum in universum est, finem mouere secundum esse reale, quod media apprehensione obicitur voluntati, nam secundum illud iudicatur conveniens, & quatenus conveniens iudicatur, movetur.

Tertio dicendum est apprehensionem seu iudicium illius convenientiae realis, proprie ac formaliter loquendo, non esse rationem movendi seu finalisandum, sed esse conditionem necessariam per modum approximationis necessariae ad tale genus causalitatis. Quoad hoc verius ac proprius loquitur secunda sententia, & probatur, quia esse in cognitione non est bonitas seu convenientia secundum quam finis movet, ut probatum est: ergo nec cognitio ipsa est ratio formalis ipsi fini ut moveatur: erit ergo necessaria conditio. Patet consequentia à sufficienti partium enumeratione. Quocirca, sicut in causa efficiente approximat localis est conditio requisita, ita in causa finali approximat quasi animalis seu vitalis, est requisita conditio ad talem causandi modum, quia cum motio huius causae Metaphorica sit, debet fieri per naturalem cognitionem potentiarum cognoscitivae & appetitivae, ut saepe dictum est.

Hinc addendum est quarto, hanc cognitionem talē esse ut ratione illius, vel potius mediante illa, possit variari ratio seu principium formale finalisandum, non quia ipsa sit ratio formalis motiva, sed quia applicat diversam rationem formalem movendi. Et in hoc videtur equivocone laborasse auctores primae sententiae. Declaratur aut ex praedicto simili causae efficientis: quomodo n. is qui applicat causam per se agentem, solum sit causa per accidens, tamen si potens sit ad applicandas diversas causas habentes diversas principia agendi, poterit ex ea parte variare rationem

tionem formalem agendi, & consequenter esse causa diuersitatis in effectu. Sic igitur, quia vis apprehensio vniuersalis est, potest applicare diuersa obiecta, & diuersas rationes formales mouendi: & ideo licet ipsa non sit ratio finalis, potest esse causa vel occasio vt huiusmodi ratio varietur. Et simili ratione potest vis apprehensio eandem materialem rem sub diuersis rationibus apprehendere, aut verè aut apparenter: & inde etiam prouenit vt ex diuersitate apprehensionis vel iudicii mutetur motio vel causalitas finis; non quia formaliter ac per se illa varietas proueniat ex apprehensione, sed quia applicat finem formaliter diuersum, vt declaratum est.

Fundamenta prioris sententia expediuntur.

ET iuxta hanc ultimam assertionem declarantur Optime & expediuntur testimonia omnia & rationes, quas prior sententia assererebat. Quandoquidem enim D. Tho. ait diuersitatem apprehensionis pertinere ad diuersitatem obiecti, intelligendum est, pertinere non formaliter, sed applicatiuè, vt sic dicam. Vel aliter dici potest (& in idem redit) diuersitatem apprehensionis, non quæ se tenet ex parte subiecti, sed quæ se tenet ex parte obiecti, variare appetitum & obiectum eius, & causalitatem finis. Voco autem conditiones apprehensionis ex parte subiecti, quod sit clara vel obscura, certa aut probabilis, & similes: quæ non redundant in applicationem obiecti sub diuersa ratione bonitatis vel conuenientie: quando autem diuersitas apprehensionis ad hoc pertingit, dicitur esse diuersa etiam ex parte obiecti.

Vnde ad primam rationem distinguenda est maior, nam quod ex parte obiecti distinguit essentialiter appetitus, si id per se primo faciat, erit ratio formalis obiecti, si verò solum id faciat vt applicans diuersum obiectum formale, esse poterit tantum conditio requisita: atq; hoc modo concurret apprehensio ad hanc diuersitatem. Et iuxta eandem doctrinam intelligendum est, appetitum intellectuum, & sensitium distinguui, quia consequuntur apprehensionem sensus vel intellectus: nam si hæc distinctio reducenda est ad obiectum apprehensum, in eo consistit quod per sensum applicatur obiectum sub diuersa ratione conuenientie, ad naturam sensitivam, vel rationalem. Et quamuis interdum intellectus possit apprehendere & proponere rationem conuenientie ad naturam sensitivam, tamen hoc est respectu illius quasi materiale, nã ad æquata ratio eius vniuersalior est, & in eo ipso longe aliter applicat rationem formalem talis boni, quam sensus, & ita tota illa diuersitas quatenus ex apprehensione in obiectum redundat, non fit, nisi vt per conditionem applicantem. Atq; idem dicendum est ad omnia exempla quæ in confirmationem adducuntur, nam visio, & abstractiua cognitio, si fortasse in causa sunt vt amores sint diuersi in specie, ideo est, quia bonitas Dei per visionem longe aliter applicatur etiam ex parte eius, ita vt secundum omnes perfectiones suas formaliter ac distinctè cognitæ in vna simplicissima perfectione clarè visa moueat voluntatem videntis, cum tamē in cognitione abstractiua solum moueat vt cognita sub determinata ratione alicuius attributi, vel sub aliqua ratione boni valde confusi. Et similiter si necessitas, quæ est maior in vno amore, quam in alio, prouenit ex obiecto, ideo est quia per visionem, & obiectum & amor eius apprehenduntur vt hic & nunc magis necessaria. Sic etiam bonum absens vel presens non variant actus propter solas apprehensiones, sed quia ipsa res, & conditio in ipsa apprehensa nata est diuersum motum causare in appetitu: eademq; ratio est de cæteris exemplis, vt facile vnusquisq; intelligere poterit, applicando singula ad doctrinam traditam.

Ad secundam rationem responderetur, in vtraque præmissa sumpta, posse esse æquiuocationem. Cum

Franc. Suar. Metaph. Tom. I.

enim in maiori dicitur, illud esse causæ quod per se ac solum requiritur ad causandum, esse rationem formalem causandi, si intelligatur de esse existentie exercito, falsum est in causa finali, quia, vt sæpe dictum est, non semper requirit hoc esse ad causandum. Si verò intelligatur de esse existentie absolute, scilicet abstractrahendo ab eo quod tunc fit, quando causat, vel quod futurum sit, aut existimetur, sic verum est, rationem causandi esse in causa aliquod huiusmodi esse. In hoc verò sensu falsa est minor, quia licet finis cum primo mouet, in re ipsa sæpe non habeat hanc existentiam, nisi in apprehensione, quomodo dicitur esse primum in intentione, tamen in illa apprehensione obijcitur & repræsentatur secundum aliud esse reale, propter quod voluntas mouetur.

SECTIO IX.

Utrum causalitas finis locum habeat in diuinis actionibus & effectibus.



Ratio dubitandi sumitur ex hæcenus dictis de agentibus intellectualibus creatis, nam in his non habet locum causalitas finis quoad actiones externas, nisi media causalitate in ipsam voluntatem causæ agentis, sed finis non potest habere causalitatem suam in voluntatem Dei: ergo neq; in effectu, vel actiones externas quæ ab illa voluntate procedunt. In contrarium verò est, quia Deus propriissime est finis creaturarum omnium, vnde & propriè dicitur omnia propter se ipsum operari: ergo est causa finalis rerum omnium, & actionum quæ ab ipso procedunt.

Sitne in decretis liberis diuinæ voluntatis causalitas finis.

Circa hanc dubitationem duo breuiter declaranda sunt. Primum, an, & quo modo finis exerceat rationem suam vel causalitatem circa ipsas liberas determinaciones diuinæ voluntatis, quæ sunt veluti actus immanentes in ipsa. Secundum, quid dicendum sit de actionibus transcurrentibus quæ à diuina potentia egrediuntur, & consequenter etiā de effectibus, ad quos terminantur. Circa priorē partē Soncin. 5. Metaph. q. 2. sentit, in diuina voluntate reperiri propriam causalitatem finis. Fundamentum eius est, quia motio finis tantum est Metaphorica, sed in Deum cadit hæc Metaphorica motio, quia diuina bonitas propter quam Deus agit, mouet voluntatem Dei: ergo & causalitas finalis cadit in diuinam voluntatem. Secundo quia Deus amat propter bonitatem suam tanquam propter finem, sed per hoc nihil aliud significatur, nisi quod diuina bonitas mouet voluntatem Dei in amorem suæ essentia: ergo. Tercio quia Deus amat creaturas propter suam bonitatem, sed amare vnū propter aliud, nihil aliud est, quam ex amore vnus Metaphorice moueri ad amorem alterius: ergo ita mouetur Deus Metaphorice à se ipso vt fine. Quarto afferri potest ratio supra insinuata, quia alias effectus Dei vt ab ipso sunt non haberent causam finalem: nam causa finalis nullum effectum habet nisi medio agente, quod ad agendum mouet: si ergo circa ipsum agens non habet causalitatem, neque circa effectus agentis potest causalitatem habere.

Hæc verò sententia falsa omnino est. Vnde dicendum est finem non posse exercere causalitatem suam in diuinam voluntatem quantum ad actus immanentes, seu determinaciones liberas eiusdem voluntatis. Hæc sumitur ex D. Thoma 1. p. quæst. 9. artic. 5. vbi in hoc sensu generaliter negat dari aliquam causam diuinæ voluntatis: & 1. cont. Gent. c. 86. & 87. dicit quod licet diuinæ voluntatis sit aliqua ratio, non tamen aliqua causa. Idem Alensis 1. p. quæst. 35. art. 5. Driedo de Concor. lib. ar. 1. lib. tract. 1. c. 4. memb. 1.

III.

Negative
responderetur.

A a a

ad